

ciendi tempus, aut dispositionem confidentes. In adimplendis etiam majori solitudine, & exemplo exercitiis, & obligationibus Scholæ, omnibusque aliis devotionis, & charitatis operibus alacres erunt.

Diebus Scholæ imponet quibusdam eorum Obedientia mortificationis aliquos actus, & ad tertium exercitium ultimæ quintæ feriæ cujuslibet mensis, eorum aliquos vocabit, qui examinabuntur de modo meditationis mortis, de dispositione, & executione eorum, quæ jam dicta sunt.

Exeunte jam quadrimestre tempore, quo die Obedientiæ visum fuerit, [ante tam quintam feriæ electionis Officiorum] convenient simul omnes in Oratorio celebrabit Obedientia Missam privatam defunctorum pro animabus Fratrum, qui e seculo abierunt, ac pro eadem intentione Eucharistiam accipient.

Post gratiarum actionem habebit brevem, ac ferventem sermonem de brevitate vite, incertitudine mortis, ejusque agone, anxietatibus, & periculis; de confusione, & tristitia, quam inducit culparum memoria de iudicii, & examinis terroribus, quo meliori modo possit commovere nos, ut vivamus in continuo timore illius valde terribilis, valdeque periculosi momenti, a quo, vel æterna salus pendet, vel æterna damnatio.

Jubebit inde in genua se dimittere Fratres, qui eo quadrimestri exercitantur, breviterque rogabit ab eis, adimpleverint ne, & qualiter ea, quæ sibi in hoc capite imponuntur, exhortabiturque, ut perseverent, & adventum Domini semper spectent parati.

Secretarius recitabit nomina Fratrum qui pone * sequuntur, secundum admissio-
* Sic nis antiquitatem, ut hac ipsa forma exercitantur quadrimestri sequenti; idque absentibus nuntiabit. Huicque numero adjunguntur ii, qui vel abfuerint, vel quod alias impediti fuerint; elapsis mensibus sibi assignatis exercitati non erunt.

Instante rogabit Fratres Obedientia, uti erga Defunctorum, præcipue Fratrum nostrorum, animas piissime; ac liberalissime se gerant, atque pro illis offerant Missas, Indulgentias, Eleemosynas, Jejunia, Mortificationes, aliaque pietatis opera, secundum uniuscujusque devotionem, deponentes omnia hæc in manibus Regina Angelorum, per manus S. Philippi Neri Patris nostri, ut benedicto Filio suo eadem offerat, & pro arbitrio applicet; quod certe erit ad majorem Dei gloriam, majoraque animarum omnium defunctorum præcipue Fratrum nostrorum suffragia, obligationumque, quibus obstricti sumus, certius complementum.

Proxime sequentis Scholæ die portabit uniusquisque in schedulis scriptum, absque eo quod suum nomen apponat, omne id, quod obtulit, consignabitque eam Secretario. Qui collatis omnibus, deductaque ratione, quæ oblata sunt, palam Scholæ recitat.

Beatus ille Servus quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem Matthæi 20. fortunatissimum erit si Nos Dominus cum venerit, ita operantes, ac nosmetipsos exercentes invenerit.

Hæc ipsa exercitia, atque eadem forma peragunt Fratres moderniores in secundo, & tertio quadrimestri, in tres partes divisi, ut dictum manet. Quæque huc usque sunt dicta fient perpetuo per singulos annos; contententque Fratres quotidie promovendi in his exercitiis, melius; disponi ad recipiendum Dominum, & Magistrum nostrum, cum illi nos vocare ad se placitum sit. *Similes hominibus expectantibus Dominum suum. Luca 12.*

CAPUT XII.

De Charitate, qua tractandi sunt Fratres infirmi.

STatim, ac Fratrum aliquis ægrotaverit, nuntiabit Obedientiæ, & si gravis fuerit infirmitas assistent ei frequenter ii, qui visitandis ægrotis sunt destinati, monebunt, que Obedientiam de ejus statu, ut de spirituali, ac temporali consolatione ægroti convenientem curam habeat, & cum gravior fiet infirmitas, procuret ei opportune ministrare Sacramenta Ecclesiæ, & cum eo agere, ut disponat se omnino, ut Christianus, & Christi Discipulus. Nominabit aliquot Fratres ultra prædictos, qui ei assistant, maxime Sacerdotes; rogabitque omnes cum Deo commendare.

Si ad proximum venerit mortis discrimen designabit, & adhuc alios, præcipue Sacerdotes, eidem adimplendo pietatis officio, qui ægrotum semper comitantur, per horas alii aliorum loco subrogati: precabiturque instanter omnes pro illo Deum orare, & quemque, secundum vires suas, Missis eum, oratione, eleemosynis, & mortificationibus adjuvare.

Cum ad hunc statum devotum fuerit, Sacra Eucharistia manifestabitur in Ecclesiis per duas horas, singulis diebus, quo magis decenter poterit; Fratresque quanto plures poterunt, ibi intererunt, anxie, ac dolenter ex intimo corde a Deo petentes animæ illius Fratris salutem, ea quidem devotione, ac tenentitudine, quæ debetur ejus momenti cause, amorique, atque erga Fratrem nostrum charitati, qui in agone mortis positus sic brevi tempore sistendus est ante Tribunal Dei, redditurus rationem etiam levissimarum totius vite cogitationum, auditurisque sententiam æternæ, sive salvationis, sive damnationis (quod ultimum Deus avertat) atque eo modo id facient, quomodo uniusquisque adjuvari se in mortis hoc volet articulo.

CAPUT XIII.

De Charitate, qua utendum est erga Fratrum defunctorum animas.

STatim, atque placitum Deo fuerit vocare ad se aliquem ex Fratribus, Obedien-

dientia omnes alios certiores faciat, ad hoc ut quanto citius defuncto ope merant Missis, Indulgentiis, Eleemosynis, Mortificationibus, &c., extendetque uniusquisque quanto magis possit pietatem suam, sciens Deo futurum id gratum valde, & acceptum, debitoresque nos esse Fratribus defunctis suffragiorum hujusmodi, & charitatis. Offerat uniusquisque, & applicet iis quidquid sibi a pietate sua dictatum venerit, per manus Virginis Deiparæ, consignabitque Secretario prima quaque die Scholæ chartam, in qua id notaverit, quomodo in Capit. 11. dictum fuit.

Cadaver omnes fratres comitantur, exequisque ejus intererunt ea, cum devotione, & modestia, quæ inter Christi Discipulos alicui eorum Defuncto debetur.

Fiet inde Communio Generalis in Oratorio, celebrabitque pro ejus anima Missam Defunctorum Obedientiæ: Fratresque omnes diligenter procurabunt intendere animi devotionem, & pietatem quo magis misericordiam & beatitudinem animæ isti a Deo impetrare valeant.

Si Fratres extra hanc Curiam obierint, celebrabitur Missa, Generalis Communio, & supra narrata oblatio fiet.

CAPUT XIV.

De Exercitiis extra Scholam.

Actus, & forma vite in fratribus omnino respondere debet Scholæ doctrinæ, & exercitiis: vere enim professio, & obligationes Discipulorum Christi, actionem omnem huic titulo minus convenientem, a se expellunt: quinimo hunc debent virtutis operibus comprobare.

Diligent se vera charitate, mutuoque sibi auxiliabuntur tam in spiritualibus, quam in corporalibus. *In hoc cognoscant omnes, quod Discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem. Jo: 13.*

Præcipua eorum cura esse debet, vite justam, sibi omnino conformem rationem præfigere, Deoque plus quam Mundo vivere.

Juvat certe plurimum obligationes, & exercitia devotionis, ut recte adimpleantur, temporis distributio cum ordine, & mensura: sicut e contrario id facile perditur, deestque rebus magis necessariis cum non ordinatur. Perpenis uniusquisque status sui obligationibus, negotiis occurrentibus, atque iis quæ pro inserviando Deo facere cupiunt, proportionabiliter horas distribuent, tempusque interea omnia, quæ agenda sunt, commodum dividant, cum consilio Patris sui Spiritualis, contententque accurate id observare, quatenus negotiis insuper venientibus non impediantur, procurentque, ut tempus sibi iis de causis subtractum minoribus obligationibus, Deoque minus gratis, desit.

Magne uniuscujusque diei ordinabunt, dirigentque omnes suas actiones, cogitatio-

nes, verba, & opera ad majorem Dei gloriam, & quo magis ei serviant, implorantes a Deo gratiam, ut quæcumque operantur, ea omnia Divinis ejus oculis placeant, orationemque mentalem quam prolixam poterunt, aut si hac hora non poterunt alia commodiore habebunt, Sacrum audient æque attente, ac devote ac in Schola, eademque devotione, quantum per status occupationes iis licebit, assistent, comitanturque Sanctissimam Eucharistiam, ubi exponetur, aut si processionaliter, vel ad infirmos deferitur, memores id proprium esse officium Christi Discipulorum, si huic Domino serviant, & hunc Dominum comitentur.

Procurabunt pro viribus continuare exercitium præsentis Dei, punctumque meditationis illius hebdomadæ, Jaculatoriam, aut considerationem, quam sibi magis intime Deus in Oratione docuerit in mente versare. Lectioni vacabunt librorum piorum de Vitis Sanctorum, aliorumque spiritualium, ex quibus præcipuum, uniusquisque eum habebit, quo magis ad pietatem excitatur, & in cujus lectione majorem devotionis affectum, & doctrinæ fructum experietur; huncque magis frequenter leget. Noctu examinabunt exacte conscientiam ante accubitum, multum dolentes de illius diei defectibus, emendationemque proponentes, cogitent tantisper de morte reducantque in memoriam, quot ea interceperit in somni tenebras, cum, nil minus ii, cum quieti se dederunt, extimerint, absque eo quod corporales oculos videndo lumini, aut spiritualia lumina, implorandæ a Deo misericordie aperire, ultra iis concessum sit.

Singulis Septimanis ad minus semel Eucharistiam sument, in quo Confessorum, & Spiritualium Patrum nutum sequentur. Visitabunt pauperes in Nosocomio die sibi præscripto, assistentque ad horam prædii, servientque eis cum humilitate, & in eis Domino, & Magistro nostro, corporaliterque, & spiritualiter secundum uniuscujusque captum, eos consolabuntur: advertentes se eo ad serviendum, & obediendum, non ad alteri negotio se ingerendum venisse. Sacerdotes vespertinis horis sibi expeditioribus accedent, ut confessiones ægrotorum audiant, & spiritualia eis solatia ministrant. Ad eaque officia dies hebdomadæ inter Fratres Sacerdotes, & Laicos distribuentur. Curet autem specialiter Obedientia ne hoc pietatis opus Deo gratissimum prætermittatur, omnesque exercitantes, & exercitati super hoc interrogentur, aut id executi sint.

Quotannis ter ibunt Fratres, quos Obedientia deliget, ad visitandos Carceratos, hoc est, in Quadragesima, in die Portuncula, & Natali Dominico: Sacerdotes scilicet ad confessiones excipiendas, seculares vero ad exercendum id opus pietatis, quod sibi magis placuerit, non sine prævia Obedientiæ notitia, & approbatione.

Vestes, & ornatus exterior ab interiori

ri non discordabunt. Sit decens, & conditioni status conformet, ita ut nota omni liber sit, & adhuc intra uniuscujusque statum, communemque usum appropinquet magis modestiæ, quam splendori, ab omni- que profanitate procul ablit.

Longe aberunt a Fratrum modestiæ, temperantiæ, & humilitate contentiones, discordiæque, imo aliis erunt imitationi, & exemplo, ut compositæ se gerant. Semperque ante oculos habebunt Christi patientiam, & humilitatem, quantum pro Nobis toleravit, ac fuit perpeſus, & quam Nobis suam ipsius in hoc imitationem voluit commendatam; hæc enim doctrina ejus, & consilium est Discipulis maxima in veneratione habenda, & pro viribus exequenda. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis non resistere malo. Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros. Matth. 5.*

Scholæ exercitia, & particularia quæque iis, qui extranei sunt, non facile referent; palam enim id evenire, quod tepidius fit, edificatione caret; quod autem devote, ac fervide agitur, si publices, plausum emendicare videberis. At id facere poterant, quoties speciale aliquod motivum obvenerit præstandi Deo servitii, aut procurandæ Scholæ utilitatis, aut si interrogati a Superioribus fuerint.

In his omnibus, quæ pro generali regula laicis fratribus imponuntur, Sacerdotes intelligent; haud quidem se excellentiæ, & obligationibus status sui paria facere, nisi in exequendis iis optimos quosque ex laicis longe superent, atque adeo Sacerdotis unius exemplum, & virtutem ad conversionem universæ cuiusque Reipublicæ debere sufficere.

CAPUT XV.

Quod festa nulla publice, ac solemniter celebrentur, & quod nulla exercitia his exercitiis adjungantur.

Festa publica, & solemnita cuiuscumque sit generis, nunquam celebrabuntur, & in hoc nulla ex causa, aut ratione superveniente innovabitur. Hæc enim Schola interior est, & occulta: ejusque præcipuum institutum penitentia, & mortificationis sunt exercitia. Pietas autem fratrum in tot aliis festis, quæ ubique fiunt proficere poterit.

Nulla autem exercitia adjungentur de novo, *Nihil aliud, quam constitutum est vobis faciatis. Luc. 3.* Nisi ea forma servetur, & eæ qualitates concurrent, quas mutandis Constitutionibus præscribit Cap. 22.

Evitentur expensæ, quæ omnino evitari possunt: Cum enim hæc Schola ad imitationem Christi Domini nostri aspiret, sanctam ejus paupertatem continuo ante oculos habere debet.

Nulla unquam pecuniarum indictio fratribus fiet; si quando autem omnino id opus sit, Obedientiæ prius de ea re ad con-

ſessum Antianorum referet, qui si annuerint, proponet eam necessitatem Scholæ, ita ut illo, vel illo modo fratres, qui velint, eleemosynam pro modo suæ devotionis elargiri possint.

CAPUT XVI.
De Regimine Scholæ.

Obedientiæ, & Deputati summe curare debent Constitutiones observari, & ad unguem adimpleri, nec ullo colore, aut titulo relaxationem ullam, aut novitatem admittere. Obedientiæ Deputatos de omnibus consulit: suffragiaque eorum, ac Secretarii, sive ejus Coadjutorem, æque ac suffragium Obedientiæ decisiva sunt, & quod horum omnium major pars iudicabit executioni mandabitur.

De rebus gravioribus referetur ad Antianorum consessum, qui habebitur omnino secunda Dominica post meridiem uniuscujusque mensis, in quo assistent, & suffragia decisiva habebunt Obedientiæ, & Deputati, & reliqui Antiani, secundum ordinem antiquitatis, ad quindecim usque, septem Ecclesiastici, & septem seculares, cum Secretario, sive ejus Coadjutore, qui vel Ecclesiasticus esse poterit, vel Secularis. Inter Ecclesiasticos post Obedientiæ, & Deputatos præsentis temporis, numerentur illi omnes, qui Obedientiæ munere functi sunt, deindeque ii, qui Deputati Ecclesiastici aliquando fuerint, secundum antiquitatis gradum usque ad prædictum septennarium numerum. At si ex his aliquis absens sit, aut occupatus, vocabitur antiquior, qui subsequetur in uno quoque ordine, ut completus sit quinquennarius numerus.

Quandocumque res momenti obtigerit, quam expediri oporteat ante diem consessum, vocabit extraordinarie alium, quo die sibi visum fuerit, Obedientiæ.

Quidquid determinabitur in d. Consessibus inviolabiliter observabitur, nec nisi gravissima ex causa mutabitur. Specialem curam habebunt non variandi, nec multiplicandi decreta, ea propter in resolvenda quaque re. multo consilio, regulisque æqualibus, tutis, ac solidis uti debent.

Pari accuratione servabunt modestiam, silentiumque in Consessibus. *Nihil per contentionem, nec per inanem gloriam sed in umilitate Superiores sibi invicem arbitantes. Ad Philipp. 2.* Super his, quæ Obedientiæ proponet, singuli ordine servato sententiam dicent (nisi alias ab obedientia interrogabuntur) quam brevius poterunt, sive eo tamen quod substantiale quidquam omittant; quod autem alius priore loco attigerit confirmant tantum, non repetant. aut exornent. *Sit sermo vester est, est, non non Matth. 5.* Si quis de aliqua re monere habebit, proponereve, quod utile futurum credat, poterit quidem id, postulata prius Obedientiæ licentiæ, eaque prævia, attenteque curabit, ne eum, qui loquitur, interrumpat, impediaturve.

Obe-

Obedientiæ occupabit præcipuum locum sibi designatum, & ex utroque latere immediate habebit duos Deputatos præsentis temporis Sacerdotem, & secularem, Secretariumque, sive ejus Coadjutorem, cæteri promiscue sedebunt quo ordine venient sine ulla differentia, aut urbanæ invitationis officio.

Univerſa Schola habet suffragium decisivum in electione Obedientiæ, ac Deputatorum, ut in Cap. 17. dicitur, in fratrum receptione, ut in Cap. 19., & in iis quæ adjungi Constitutionibus tollere qui ab eis, mutareve oportebit, ut in Cap. 22., ac tandem in omnibus causis majoris momenti, de quibus Antianorum consessum referri debere ad universam Scholam censent. Fratres tamen, qui nondum octo menses in ea compleverint, suffragio carebunt.

Electiones, & receptiones quæ absque ulla præcedente collatione fiunt in Schola, & quæque alia possunt hac ipsa forma per suffragia conscribi cum reverentia, & suffragia quovis Scholæ die expediuntur, exercitia restringendo, aliquodve ex his omitendo. At si negotium contigerit, de quo opus sit informari fratres, & sententiam suam dicere, assignabitur huic rei, & suffragationi alia dies Scholæ vacua. Commendaturque in primis loquendi gravitas, & modestia, & ne aliquis extra ordinem, nisi rogatus ab Obedientiæ loquatur.

Receptio, exclusioque fratrum tam in Schola, quam in Consessibus expeditur per suffragia secreta, quemadmodum, & Officialium electio, eaque omnia in quibus grave, aut moleſtum alicui esse possit sensum animi sui manifestare omnino, ut libertas rei conveniens servetur.

Consessus omnes in Oratorio fient, nisi aliqua causa impediatur.

Secretarius scribet in Decretorum libro quidquid in eis consessibus decerneretur, clare, ac distincte, adjunctis concurrentium nominibus, annotatisque præcipuis stabilitorum rationibus; semper ut habeantur præ oculis non res tantum decreta, sed & earum rationes, & fundamenta: Subſcribentque iis nomina sua Obedientiæ, & Secretarii sive ejus Coadjutor.

In quocumque Consessu ante alia Secretarius leget antecedentis Decreta, ut in primis de adimplimento eorum confiderent, aut si opus sit, super iis quidquam ordinare, de eo in consilium eant.

Si quid ex his, quæ decreta sunt non observabitur, monebit de eo Secretarius, at si in aliqua ex Constitutionibus id contigerit, quicumque ex fratribus in Consessum venientibus, qui hoc animadvertent, referre id tenebitur, ne relaxationi, aut novitati aliquis detur aditus.

Consessus Deputatorum, ut dicatur interesse debent Obedientiæ cum duobus Deputatis, & Secretario, sive ejus Coadjutore, Consessus autem Antianorum hic dicitur, in quo intervenerint ad minus Obedientiæ cum Secretario, aut Secretarii Coadjutore, & septem aliis. Consessus An-

tianorum plenus is, cui intererunt Obedientiæ cum Secretario, aut Coadjutore, & aliis undecim suffragatoribus. Et in quocumque horum Consessuum, si proprius Obedientiæ aberit, pro tali habebitur, qui loco ejus præerit, suffragiorum numero cæteroquin completo.

Ad principium, & finem dictionum Consessuum, orationes Capituli ultimi recitabuntur.

CAPUT XVII.

De Electione Obedientiæ, ac Deputatorum.

Quo die fieri debet in Schola electio Obedientiæ, ac Deputatorum, habebitur mane Congregatio Antianorum in Oratorio, ad nominandū personas idoneas, quæ pro gerendis his Officiis proponantur, ex quibus Schola electura sit, quos æstimaverit magis idoneos.

Proponi debent tres pro officio Obedientiæ, singulique duo pro uniuscujusque Deputati. Qui pro munere Obedientiæ proponuntur Sacerdotes esse debent, sive seculares, sive regulares iis meritis, eaque virtute, ac doctrina præditi, quæ dicta jam sunt, & qui ante annum ad minus in eam admitti fuerint. Pro Deputatorum Ecclesiasticorum similiter Sacerdotes seculares, aut Regulares, & qui Obedientiæ locum supplere possint, & minusque octo mensium antiquitatem habentes. Pro Deputatorum quoque Secularium Fratres Seculares magna vitæ probitate, ac prudentia.

De iis, qui pro Obedientiæ munere proponendi sunt, congregati in suffragia ibunt, hoc est, primo loco de eo, qui primo loco proponi debet, calculatisque suffragiis, notoque quis proponendus est, suffragia ferentur simul de duobus reliquis, qui una cum priore illo proponendi sunt: suffragiumque hoc modo dabitur, ut unusquisque in schedula ibi propria, aut quam e domo sua portaverit, nomen ejus, quem elegerit scribat.

Suffragia numerabunt Obedientiæ, & Priores duo Deputati, alter Sacerdos, & alter Secularis una cum Secretario, & qui plura habebunt, hi nominati intelligentur. Si paria sint pro duobus suffragia, iterum fiet suffragatio; etsi adhuc paria erunt, fortes jacentur.

Si ipsi, qui pro Obedientiæ officio proponantur, remanent, & pro Deputatorum Officio propositi, excepto tamen eo, qui actu fuerit Deputatus. Quapropter, si tres illi manebunt propositi, suffragia ferentur pro duobus aliis, ad hoc ut levato per Secretarium ejus nomine qui Obedientiæ eligetur quatuor pro Deputatis remaneant propositi. Si vero duo manebunt propositi, suffragatio pro tribus aliis fiet: at si unus tantum pro aliis quatuor ad hoc ut in quocumque istorum casuum, quinque personæ scriptæ sint, si unus eorum Obedientiæ eligetur, Secretarius nomen illius auferat, at si nullus eorum eligatur, nomen auferat

ulti-

ultimo loco propositi, atque omnino qui Scholæ pro Officio hoc Deputatorum proponentur, quatuor sint.

Pro Deputatis Secularibus, quatuor eligentur per suffragia, & in casu paritatis suffragiorum tam in his, quam in Sacerdotibus fortes jacentur.

Secretarius, & Coadiutor scribent in schedulis tria nomina propositorum pro Obedientiæ officio, juxta numerum Fratrum, qui suffragari debent.

Totidem sient ejusdem formæ schedulæ cum nominibus propositorum pro Deputatis, tantisper separatim Sacerdotibus (Priori quidem loco scribentis) a secularibus. Afferetque secum eas Secretarius justæ magnitudinis, semirectas, hoc est, Priores Obedientiæ secundum nomina propositorum in tres partes, posterioresque Deputatorum in novem partes, ad hoc ut commodius dividere fratres possint a cæteris nominibus, ejus, quem elegerint nomen.

Post meridiem in Schola Orationis spatio completo, atque uno ex tribus exercitiis facto, proponit Obedientiæ debere tunc eligi aliquem, qui per quatuor menses sequentes errores suos, ac defectus corrigat, Fratresque exhortatur, ut in eum oculos coniciant, qui munus id gesturus sit ad majorem Dei gloriam, Scholæque utilitatem, unum scilicet ex tribus a Congregatione Antianorum propositis nomina eorum referet, jubebitque exire ab Oratorio eos, qui ex his adfuerint: Secretariusque, & ejus Coadiutor distribuent schedulas Fratrum Scholæ, qui suffragium habebunt, quos omnes numerabunt, & eorum alternas quodam constituet ad pedes Christi Domini Crucifixi, in quem suffragia mittentur. Elegit unumquemque eum, quem magis idoneum existimat; cæterorumque nomina frustratim conscindit. Exigit tunc se Obedientiæ cum duobus primis Deputatis, quos consequuntur cæteri singuli terni ex quocumque choro alternatim, factaque genuflexione, obtatisque Christo Domino nostro, corde, & recta intentione, mittunt in vas schedulas, redeuntque in Sedes suas, venientes non impediendo.

Suffragatione completa, Secretarius vas ad mensam Obedientiæ adducit ubi numeratis schedulis, totidemque repertis; quot Fratres cum suffragandi vice in Oratorio sunt, calculantur omnes ab Obedientiæ, deputatis duobus prioribus Ecclesiastico, & Seculari, & Secretario. Qui ex tribus majorem habebit suffragiorum numerum in Obedientiæ electus manet, & in paritate fortes mittuntur. Tunc Obedientiæ jubet intrare eos, qui exierant, cumque, ii loca sua occupaverint, è suo ipse exit, dicensque cum Fratribus Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt*, imaginemque Christi è Cruce pendentis parvam in manibus portans, deponit eam in manibus noviter electi, qui tunc primum declaratur, significave volens committi ei, & confidit servitium, cultum, reverentiam, & imitationem su-

perni hujus Domini, ut ea in se operetur, & alios doceat. Comitatur eum usque ad scamnum, Hymnum continuans, tuncque locum aliquem sedendi, ubi laxitas sit major, petit. Novus Obedientiæ brevi oratione fatetur incapacem se illius muneris esse, & ab omnibus postulat se, ut precibus suis adjuvent, impetrare a Domino, ut vitam suam in melius transformet, gratiamque conferat, ut vel eorum aliquid, quæ ex munere debet, perficere possit. Si electus adfuerit, Obedientiæ electionem publicam facit, continuatque electionem Deputatorum, & reliqua exercitia.

Distribuantur schedulæ pro Deputatis, suffragatione fit, & calculatio eadem forma, manetque Deputatus Prior in suo Ordine is, qui plura suffragia sibi favorabilia meruerit, aut in paritate suffragiorum sortis jactum. Exit de loco suo primus Deputatus Ecclesiasticus, exportatque Calvariam, quæ in mensa est ad nove electum; in quo admonetur, curæ ei debere esse tam propriam ipsius, quam Fratrum mortificationem. Reportatis eam ad Obedientiæ prædictam mensam, ac suo loco sedet. Eliguntur deinde tres alii Deputati, secundisque Ecclesiasticus locum suum occupat. Flagellatio demum, & cætera, quæ moris sunt, expediuntur.

At quia cunctis Officialibus de novo venientibus deesse in Consiliis Deputatorum aliquem bene instructum de causis, & rationibus rerum prius decretarum, præjudicium aliquod inferre poterit, Congregationi Antianorum permittitur reeligere posse eum, quem voluerit, ex quatuor Deputatis, qui primus erit in suo Ordine. Et quando ita placuerit, reelectio Scholæ referetur, proponunturque ei sex tantum pro tribus aliis Deputatis.

Obedientiæ iterum eligi ad hoc Officium, sive ad alterum nequit, nisi elapso quadrimestri; nec Deputati denuo eligi ad idem munus possunt, excepto uno, uti dictum est; at vero in Obedientiæ quilibet eorum potest eligi.

Fiet electio Obedientiæ, ac Deputatorum modo jam dicto, post singulos quatuor menses, nempe in fine Decembris, Aprilis, & Augusti. Prior illa Decembris anteponetur, itaut nec in Natalis Domini diebus, nec in vespertis fiat, ad hoc, ut exercitia horum dierum omnia sint contemplationis, & amoris erga hoc supernum & dulce misterium, omni alia cura posthabita.

CAPUT XVIII.

De Electione Secretarii, Nuntiorum, atque Coadiutorum.

Quo die novo Obedientiæ placuerit, ante tamen primam ab suo electione feriam quintam, congregabit Deputatos cum Secretario antiquo, ut novum alium Secretarium, & Nuntios pro quatuor suis mensibus eligant. Collationeque inter se facta,

facta, super iis, qui magis idonei ad hæc munera inter Fratres Scholæ videbuntur, sive ex consensu, sive per suffragia secreta nominabunt Secretarium, ejusque Coadiutorem, annum ad minus unum antiquitatis habentes, requisitisque illis ante in *Capit. 5.* annotatis gaudentes, duosque Nuntios Altaris, atque duos Coadiutores, qui Ecclesiastici sint: duos item Nuntios Portæ, atque duos Coadiutores seculares, ejus conditionis, quæ dicta sunt in *Cap. 6.*, saltemque octo menses antiquitatis habentes.

CAPUT XIX.

De qualitatibus admittendorum ad hanc Sanctam Scholam, ac de forma eos recipiendi.

Attentissime considerandi sunt ii, qui ad hanc Sanctam Scholam admittendi erunt; siquidem inde conservatio ejus, augmentumque; aut relaxatio omnino pendet. In qua re id omnibus commendatur, præsertimque Obedientiæ, & Officialibus, ut exactissime inquirent in ejus indolem, & animi dotes, qui admitti desiderat, nil propter humanum aliquem respectum diluimulando, aut dispensando.

In *Cap. 2.* dictum fuit, quibus dotibus præditi esse debent Scholæ hujus Fratres, ut in sequentibus qualis eorum professio, exercitia, & obligationes. Juxtaque considerabitur, an is, qui se admitti postulat, iis qualitatibus gaudeat, quas Institutum hoc requirit: ea scilicet animadversione habitata, necessarium non esse, quod completus sit Fratrum numerus, sicuti necessarium, est, eorum neminem magnæ virtutis, & exempli non esse.

Habebunt saltem in ætate viginti quatuor annos, nisi cum aliquo in hoc dispensandi peculiaris aliqua fuerit ratio; in quo concurrere opus erit duas tertias partes suffragiorum in Congregatione Antianorum, naturali docilitate, & probitate ornati esse debent, & qui sese in oratione, mortificatione, frequentiaque Sacramentorum exercuerint; nec tamen Religiosi alicujus Ordinis, aut Professi, aut Novitii fuerint, exceptis tamen Ordinibus Militariibus.

Prima ejus, qui ad Scholam admitti desiderat, cura erit, Obedientiæ manifestum facere hoc suum propositum, qui de eo certiores facit Deputatos; quibus si haud idoneus fuerit visus, priusquam ulterius procedat, divertent eum, quo magis poterunt suaviter, ab hoc proposito. At si nullum ei obesse manifestum impedimentum censebunt, Obedientiæ probabit eum in aliquot experimentis prudentibus mortificationis, & humilitatis; injungetque Deputato cuidam Ecclesiastico, ut examinet eum, experiatur, & instruat; duobusque aliis Fratribus, ut vitæ ejus, atque operum notitiam sumant. *Afructibus eorum cognoscetis eos. Matt. 7.* Quorum singuli secreto nuntiabunt Obedientiæ, quæ compererint.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

Si quidquam inde erit deductum, quod impedimento sit ejus admisioni, divertet eum Obedientiæ ab hoc proposito; quod si nil tale adductum sit, proponet Scholæ intentionem ejus, intimato, si quidquam scierit aliquis Fratrum, quo minus ille admitti debeat, secreto, ut Obedientiæ certiore faciat, si forte res incerta nuntiabitur, de ea inquisitio agetur. Quod impedimentum nullum sit, imponetur, ut Confessionem Generalem faciat, & tanquam moriturus testamentum coudat; cujus confessionis exhibebit schedulam a Confessore signatam, tuncque permittetur ei semel, aut bis, quando Obedientiæ, cum consilio Deputatorum, placuerit, in Scholam venire, pallium tamen non deponet. Post hæc omnia, si cum humilitate, & bono exemplo perseveraverit, de admisione ejus Antiani in Congregatione sua in suffragia ibunt secreta, præcedente informatione Obedientiæ, atque illius Deputati, qui eum examinaverit, & instruxerit. Qui si approbationem majoris partis meruerit veniet inde per suffragia secreta totius Scholæ, si major pars ipsum probaverit, admittendus.

Proxima quinta feria, aut si hac non possit, ea, quæ proximam consequetur, receptio hac forma fiet.

Introducet eum in Oratorium unus ex Nuntiis Portæ, statim post lemihoram orationis decursam; ingressus se prosternet, dicentque ex genibus, alternis choris, Fratres Psalmum: *Miserere*; deinde ille ter dicet: *Sanctissimum Sacramentum laudet, & purissima Conceptio, &c.*, respondentibus Fratribus. *Amen.* Tunc interrogabit eum Obedientiæ, ad quid veniat; respondetque: *Ad emendam vitam meam, discendumque quo modo melius Deo serviam.* Monebit eum brevi sermone de iis, quæ facere debet, & quantum procurare opus habeat, ut affectibus suis moriatur, Deoque vivat. Tunc jurat is in manibus Obedientiæ defensorum se Immaculatam Deiparæ Virginis absque labe originalis peccati Conceptionem, Deinde dum dicitur: *Te Deum laudamus*, alternis choris, ut in *Cap. finali*, amplexatur Obedientiæ, & Fratres: Obedientiæque, ac Deputati una cum amplexu, salutare aliquod ei consilium auribus instillabunt. Omittitur unum ex tribus exercitiis, ne excedant præscriptum tempus. Duoque tantum sunt, & cætera, quæ moris est facere. Eodem Scholæ die poterit fieri electio duorum, aut plurium, seorsim tamen; at receptio eorum simul fiet.

Regulares majoris vite probitatis, & melioris exempli, qui desideraverint in Scholæ Fratres recipi, uti hodie sunt cum generali edificatione Prælati quidem, & Religiosi diversorum Ordinum, admittentur ad Fratrum numerum, insuper habitis propter notorietatem virtutis. mortificationis, & majoris perfectionis Religiosi status, iis, quæ diximus, examini, & probationi subjicienda. Proponet Obedientiæ in Antianorum Congregatione eum, qui admitti in votis habet, manebitque admittus, si pro

si pro se majorem partem suffragiorum habuerit, idque notum Scholæ fiet.

Cum hic recipitur, statim atque introductus sit, se prosternet, dictoque per fratres: *Miserere mei Deus*, & per eum ter laudetur *Sacramentum*, & *purissima Conceptio* &c. ut supra Obedientia, & dicet sperare in Deum illi gratiam concessurum ad hoc ut cum animæ suæ magno profectu, exemplum fratribus in via sit perfectionis, respondebitque *Amen*; juratque Conceptionem, ut supra. Dicitur: *Te Deum*, &c. amplexabiturque Obedientia, & fratres.

Cum ultra numerum nullus, sed in locum alterius vacantem, recipendus sit, contingere poterit Competitores unius loci, duos esse, aut plures, super quibus omnibus supradicta examina facta sint, in quo casu Congregatio Antianorum secretis suffragiis super approbatione eorum omnium resolvet, & quismam ex iis tunc Scholæ proponendus sit; & quidem is proponetur, cui major suffragiorum pars, aut in pari numero sortes favebunt. Quandoque vero jam approbati duo, aut plures erunt, etiamsi eorum aliquis prior ceteris tempore approbationem meruerit, in suffragia ibunt fratres super eo, qui ad locum vacantem proponi debet. Tuncque si de aliquo examen factum erit, super approbatione ejus suffragatio habebitur, concurrentque cum aliis olim approbatis, ut ex omnibus deligatur is, qui proponi debet.

Cum fratrum aliquis proficiscetur sine animo redeundi, locus ejus vacans implebitur, & si redierit denuo ad omnia admitetur, locusque primo vacaturus ei destinabitur, ne fratrum numerus ultra præscriptum sit.

CAPUT XX.

De causis, & forma exclusionis ab Schola.

Sero, & cum ingenti dolore ad hoc ultimum devenietur remedium excludendi ab Schola eos, qui suavioribus aliis corrigi non poterint. Aliquando tamen contingit, quod Charitas bene ordinata, totum ut conservet, expellit partem. *Si oculus tuus scandalizat te, eice eum. Matt. 9.*

Si quis delictum aliquod gravis scandalum commiserit, expelletur ad Schola, & cancellabitur admissio ejus in libro Fratrum, quæ exclusio ita fiet. Congregatio Antianorum per suffragia secreta id expediet: necessariumque erit pro expulsionem esse duas ex tribus partibus suffragiorum: Obedientia inde eam notam faciet Scholæ. At quia de re tam gravi consultatio est, cum magna deliberatione, & maturitate hoc negotium tractabitur, id quod factum fuerit examinando, itemque circumstantias, quæ culpam augere, vel minuere possint: siquidem ex iis licitum quandoque, aut non tam grave est, quod alias peccatum esset gravissimum. Et in re ambigua potius excusare, quam condemnare fratrem de-

bebunt, Dum pendet examen rei, & resolutio, Obedientia faciet moneri eum, Schola ut abstineat usque dum facultas veniendi detur.

In aliis causis non sic gravibus, quæ tamen Discipulorum hujus Scholæ professioni malè conveniunt, eamque dedecorant. Obedientia ex consilio deputatorum admonet eum fratrem, qui vel debito suo non responderit, vel indebitum quidquam fecerit, semel, bis, tertioque: quo se non emendante, aut ex æquo satisfaciente, proponet id Congregationi Antianorum, quorum prudentiæ committitur, ut æstiment qualis sit defectus, sive excessus, qui ei imputatur, duritiesque etiam commonefacti in malo perseverandi: præscribentque ea, quæ cum eo ultra facienda erant. Quæ si nullo cum fructu emendationis executioni mandata erunt, exclusio, uti supra decernetur. Eaque duarum ex tribus partibus munita suffragiis, Congregatio ex circumstantiis negotii censerebit, an publicanda sit in schedula, an evitandi scandali causa, quasi de re facta non ultra tractandum. Omninoque id fiet, quod ea censerebit.

CAPUT XXI.

De Communicatione cum aliis Scholis.

HÆC Sancta Schola poterit fraternitatem cum aliis ejusdem Instituti, contrahere, communicareque cum iis fructus, & suffragia, de quo tamen attente admodum, & mature consultabitur.

Fratres Scholarum, cum quibus fraternitas contrahetur, si Obedientia, & Deputatis se tales esse documentis idoneis ostenderit, in hac admittentur cum vera charitate ad omnia ejus exercitia, deponet pallia, exercebuntque, & exercebuntur, ac cæteris mortificationibus subjiciuntur. profectusque earum ita uti nostræ Scholæ fratrum, cura habebitur. Nusquam tamen, sive activa, sive passiva, ut ajunt, voce gaudebunt. Quod si ob numerum, vel alias causas impedimentum, seu inconveniens nascetur Scholæ, quid tunc fieri debeat Congregatio Antianorum decernet. Ad quæ ipsum in aliis illis Scholis cum nostræ fratribus fiet.

Si casus aliquis gravis postulaverit; Literæ ad ipsas dabuntur, literisque earum respondebitur.

Fraternitas hæc per suffragia secreta conferetur, & resolvetur in plena Congregatione Antianorum, quæ si a duobus partibus suffragiorum approbabitur, tunc Scholæ proponetur secreto iterum ibi discutenda; cui si fuerint duæ ex tribus partibus suffragiorum admissa intelligetur.

CAPUT XXII.

De facultate augendi his Constitutionibus, easve moderandi, aut variandi.

Quoniam contingere possunt casus aliqui, de quibus in his Constitutionibus

bus non sit provisum, aut experientia docere potest oportere quidquam in provisis quoque variare. Scholæ reservatur facultas adjungendi, reformandi, corrigendi, & variandi ea, quæ his continentur; ita tamen, ut omnino tractari ante alia debeat in Congregatione Obedientiæ, ac Deputatorum, an expediat Congregationi Antianorum id proponere. Quod si expedire visum sit, proponetur eis, & in Congregatione plena tractabitur; nec tamen in ea resolvetur, sed ut deliberare magis, & attente id fiat, ad aliam similiter plenam remittetur. In qua hoc per suffragia exquiratur secreta, an scilicet variatio expediat: concurrentibusque pro convenientia ex trinis duabus suffragiorum partibus, proponetur Scholæ, quæ non aliter mutationem decrevisse videbitur, quam duobus similiter ex tribus partibus id volentibus. Quod si quidquam sit ad substantiam Instituti pertinens, non sine Ordinarii licentia, & approbatione fiet. Requisitis vero his, aut eorum aliquo deficiente, nihil mutari poterit; si res enim valde perspicua erit, nemo non eam agnoscat, si ambigua, mutare aliquid ex Constitutionibus opus non erit. Dubia autem super sententia, seu observantia earum, solvere ad Congregationem Antianorum spectabit.

CAP. XXIII.

De Orationibus, quæ in Schola dicuntur.

Principio Scholæ.

Obedientia. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.*

Fratres. *Amen.*

Ob. *Et Purissima Conceptio Domina Nostra sine labe peccati originalis.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Ajutorium nostrum in nomine Domini.*

Fr. *Qui fecit Cælum, & Terram.*

Ad Asperforium.

Ob. *Asperges me.*

Fr. *Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super niveem dealbabor.*

Ob. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*

Fr. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.*

Ob. *Gloria Patri &c.*

Fr. *Sicut erat &c.*

Ob. *Asperges me.*

Fr. *Domine hyssopo &c.*

Ob. *Pater noster, secreto. Et ne nos inducas in tentationem.*

Fr. *Sed libera nos a malo.*

Ob. *Salvus fac servos tuos.*

Fr. *Deus meus sperantes in te.*

Ob. *Mitte nobis Domine auxilium de sancto.*

Fr. *Et de Sion tuere nos.*

Ob. *Ego nobis Domine turris fortitudinis.*

Fr. *A facie inimici.*

Ob. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*

Fr. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*

Ob. *Confiteor &c.*

Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

Fr. *Miserere mei &c.*

Ob. *Amen.*

Fr. *Confiteor Deo &c.*

Ob. *Miserere vestri &c.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Indulgentiam, absolutionem &c.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Domine exaudi orationem meam.*

Fr. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ob. *Dominus vobiscum.*

Fr. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Ob. *Deus, cui proprium est miserere semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratione tuæ pietatis clementer absolvas. Per Christum Dominum nostrum.*

Fr. *Amen.*

Ob. *Veni Creator Spiritus*

Mentes tuorum visita, &c.

Ob. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.*

Fr. *Et renovabis faciem terræ.*

Ob. *Memento Congregationis tuæ.*

Fr. *Quam possedisti ab initio.*

Oremus.

Ob. *Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & cui nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur. Actiones nostras, quas sumus Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cepta finiatur.*

Deus, qui beatum Philippum Confessorem, tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede propitius, ut cujus solemnitate letamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum nostrum &c.

Fr. *Amen.*

Ob. *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*

Fr. *Amen.*

Post Orationem.

Ob. *Sub tuum præsidium.*

Fr. *Confugimus Sancta Dei Genitrix &c.*

Ob. *Domina nostra, auxiliatrix nostra, tuo Filio nos concilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos representa. Mater admirabilis, Consolatrix Afflictorum, Regina Sanctorum omnium, ora pro nobis.*

Fr. *Ut digni efficiamur &c.*

Oremus.

Ob. *Defende quesumus Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Litanie B. M. V.

Kyrie eleison. Christe eleison, &c.

Ob. *Ora pro nobis Sancta Dei Genetrix,*

Fr. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oremus.

Ob. *Gratiam tuam quesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nunciante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem*

ad Resurrectionis gloriam perducamur .
Per eundem Christum &c.
Fr. Amen.
Ante Flagellationem .
Ob. Passio Domini nostri Jesu Christi sit semper in cordibus nostris .
Fr. Amen .
Ob. Recordemini fratres charissimi , quod Dominus noster Jesus Christus fuit pro nobis venatus , osculo traditus , ad Annam primum , deinde ad Caipham Pontificem datus , & postremo in Pratorium ad Pilatum , ubi fuit ad Columnam ligatus , & flagellatus , spinea coronatus , ac veste purpurea circumdatus , alapis percussus , atque conspuus , & Judeis traditus , ut crucifigeretur , ad Calvarie locum deductus , & crucifixus , & cum eo crucifixi sunt Latrones duo , unus a dextris , & alter a sinistris , & cum dixisset , sicuti porregerant ei acetum , quod cum accepisset , dixit i consummatum est . & inclinato capite emisit spiritum . Deinde unus militum lancea latus ejus aperuit , & continuo exiit sanguis , & aqua , & de cruce depositus fuit in monumento novo sepultus , tertia autem die resurrexit a mortuis . Tu autem Domine miserere nobis .
Fr. Deo gratias .
Ob. Fratres servite Domino in timore , & exultate et eum tremore . Apprehendite disciplinam (hic incipit flagellatio) nec quando irascatur vobis , & perieritis de via justa .
Ob. Miserere mei Deus . &c.
Fr. Et secundum multitudinem &c. (dicitur integer Psalmus .
Ob. Gloria Patri &c.
Fr. Sicut erat &c.
Ob. De profundis clamavi &c.
Fr. Fiant aures tue intendentes &c. (dicitur integer Psalm .
Ob. Requiem aeternam dona eis Domine .
Fr. Et lux perpetua luceat eis .
Ob. A porta Inferi .
Fr. Erue Domine animas eorum .
Ob. Requiescant in pace .
Fr. Amen .
Ob. Dominus vobiscum .
Fr. Et cum spiritu tuo .
Oremus .
Ob. Deus qui culpa offenderis , penitentia placaris , preces populi tui supplicantis propitius respice , & flagella tua iracundie , qua pro peccatis nostris meremur , avertit . Fidelium omnium conditor , & redemptor animabus famulorum , famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum , ut indulgentiam , quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur . Qui vivis , &c.
Fr. Amen .
Ob. Domine Jesu Christe &c.
Ad finem signum facit , & dum se componunt , injungit eis , ut dicant semel Pater noster , & Ave Maria pro S. M. E. , fidei exaltatione , pro Summo Pontifice . & Cardinalibus , Prelatisque ejusdem Ecclesie . Alterum Pater noster , Ave Maria , pro Rege , & Regia Domo . Alterum pro augu-

mento Congregationis . Alterum pro Fratibus infirmis , & absentibus . Alterum pro iis , qui sunt in peccato mortali . Deinde dicit : Nunc dimittis &c. Cumque pervenit ad versum : Lumen ad revelationem &c. lux intromittitur . Dicit Nunc dimittis .
Ob. Benedicamus Patrem , & Filium cum Sancto Spiritu .
Fr. Laudemus , & superexaltemus eum in seculo .
Oremus .
Ob. Deus cujus misericordia non est numerus , & bonitatis infinitus est thesaurus , piissima majestati tue pro collatis donis gratias agimus , tuam semper clementiam exorantes : ut qui petentibus postulata concedis eosdem non deseras , sed ad premia futura disponas . Per Christum Dominum &c.
Fr. Amen .
Ob. Fratres emendemus in melius , qua ignoranter peccavimus , ne subito preoccupati die mortis quaramus spatium penitentiae , & invenire non possimus .
Ad adorationem Crucifixi in tribus genuflexionibus .
Ob. Adoramus te Christe , & benedicimus tibi , quia per Sanctam Crucem , & Passionem tuam redemisti mundum , miserere nostri . Id Fratres ter repetunt .
Oremus .
Ob. Respice quasumus Domine super hanc familiam tuam , pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradidit nocentium , & Crucis subire tormentum . Qui tecum &c.
Fr. Amen .
Ad Virginem Deiparam in tribus genuflexionibus .
Ob. Ave filia Dei Patris .
Ave Mater Dei Filii .
Ave Sponsa Spiritus Sancti .
Ave Templum Sanctissima Trinitatis .
Repetunt id Fratres .
Ob. Dignare me , laudare te , Virgo sacrata .
Fr. Da mihi virtutem contra hostes tuos .
Oremus .
Ob. Famulis tuis quasumus Domine , celestis gratie munus impertire : ut quibus Beate Virginis partus exitit salutis exordium , Conceptionis ejus votiva solemnitas , pacis tribuat incrementum . Per Dominum &c.
Fr. Amen .
Obedientia legit meditationem Dominicę subsequentis , & Fratres ter dicunt Jaculatoriam , cadentes in faciem suam .
Duo Nuncii Altaris distribuunt meditationes , & in fine ait Obedientia .
Ob. Procedamus in pace .
Fr. In nomine Domini .
Ad adorationem Crucis in majori Hebdomada .
Vexilla Regis prodeunt ,
Fulget Crucis mysterium ,
Qua vita mortem pertulit ,
Et vita mortem protulit .
Qua vulnerata lancea
Macrone divo criminum ,
Ut nos lavaret sordibus
Manavit unda , & sanguine .

Imple.

Impleta sunt , qua concinit
David fidei carmine ,
Dicendo nationibus
Regnavit a ligno Deus .
Arbor decora , & fulgida ,
Ornata Regis purpura ,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangero .
Beata cujus brachiis ,
Pretium pependit seculi ,
Statera facta corporis ,
Tulitque preadam Tartari .
O Crux ave spes unica
In hac triumphi gloria ,
Fidei adauge gratiam
Reisque dele crimina .
Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus :
Quibus Crucis victoriam
Largiris adde premium .
Fr. Amen .
Ob. Adoramus te Christe &c.
Fr. Quia per Sanctam Crucem tuam &c.
Oremus .
Ob. Respice quasumus Domine &c.
Fr. Amen .
Ad Adorationem in Inventione Crucis .
Ob. Vexilla Regis prodeunt ,
Fulget Crucis mysterium . ut supr .
Ob. Hoc signum Crucis erit in Cælo , alleluja .
Fr. Cum Dominus ad judicandum venerit , alleluja .
Oremus .
Ob. Deus , qui in præclara salutis fere Crucis Inventione , Passionis tue miracula suscitasti , concede , ut vitalis ligni pretio aeterna vite suffragia consequamur . Qui vivis , & regnas &c.
Fr. Amen .
Ad finem adorationis in Presepio .
Ob. Hodie Christus natus est .
Fr. Hodie Salvator apparuit ; hodie in terra canunt Angeli , latantur Archangeli : hodie exultant justi , dicentes : Gloria in excelsis Deo , alleluja .
Ob. Verbum caro factum est , alleluja .
Fr. Et habitavit in nobis , alleluja .
Oremus .
Ob. Concede quasumus omnipotens Deus , ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet , quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet . Per Christum Dominum nostrum .
Fr. Amen .
Ad finem adorationis Regum .
Ob. Videntes stellam Magi ,
Fr. Gavisus sunt gaudio magno , & intrantes domum obtulerunt Domino aurum , thur , & mirram , alleluja .
Ob. Reges Tharsis , & Insule munera offerent .
Fr. Reges Arabum , & Saba dona adducent .
Oremus .
Ob. Deus , qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti ; concede propitius , ut qui jam te ex fide cognovimus usque ad contemplandam speciem tue celestitudinis perducamur . Per eundem Dominum nostrum &c.

In receptione Fratrum .
Dicitur Miserere alternis Choris . Miserere mei Deus : &c.
Gloria Patri &c.
Novitius ter dicit .
Nov. Laudetur Sanctissimum Sacramentum , & Purissima Conceptio &c.
Fr. Amen .
Ob. Frater ad quid venisti ad hanc Scholam .
Nov. Ad emendam vitam meam , & ascendendum melius Deo servire .
Obedientia dicit ei unum , aut alterum verbum , juratque ille in ejus manibus se Conceptionem defensurum Deiparę Virginis .
Alternis Choris dicitur Te Deum , & interim amplexatur Obedientiam , & Deputatos , qui cum sancto aliquo consilio instruent .
Te Deum laudamus : &c.
Ob. Benedicamus Patrem , & Filium cum Sancto Spiritu .
Fr. Laudemus , & superexaltemus eum in seculo .
Ob. Dominus vobiscum .
Fr. Et cum spiritu tuo .
Oremus .
Exaudi quasumus Domine supplicum preces , & devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi : ut nullis perturbationibus impediti , liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis . Per Christum &c.
In diebus Communionis .
Principio .
Ob. Veni Sancte Spiritus , reple tuorum corda fidelium .
Fr. Et tui amoris in eis ignem accende .
Ob. Dominus vobiscum .
Fr. Et cum spiritu tuo .
Oremus .
Actiones nostras quasumus Domine &c.
Fr. Amen .
Ad finem .
Ob. O sacrum convivium .
Fr. In quo Christus sumitur , recolitur memoria passionis ejus .
Ob. Cibavit illos ex adipe frumenti .
Fr. Et de petra melle saturavit eos .
Ob. Dominus vobiscum .
Fr. Et cum spiritu tuo .
Oremus .
Ob. Exaudi preces familie tua Omnipotens Deus , & presta , ut Sancta hæc , qua assumpsimus , incorrupta in nobis se donante serventur . Per Christum Dominum nostrum .
Fr. Amen .
Die Corporis Christi .
Principio .
Ob. Veni Sancte Spiritus . Uti supra .
In expositione Sanctissimi Sacramenti .
Ob. Pange lingua gloriosum
Corporis mysterium
Sanguinisque pretiosum ,
Quem in mundi pretium :
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium .
Nobis datus , nobis natus
Ex intacta Virgine ,
Et in mundo conversatus

Sperso